

contractu oneroso. Hæc sententia tribuitur S. Antonino, Medinae, Toledo, Suarez, &c. imò ex S. Thomæ Opusce. 73. de usuris. Ratio est 1. quia, qui patitur damnum ex delicto, magis est invitatus, quam qui ex contractu; in enim voluntarie contrahendo exponit se periculo amittendi pretii, unde non est tam invitatus circa hoc periculum, quam qui patitur damnum ex furto, vel rapina: magis autem invito patitur damnum ex furto, vel rapina, quam ex contractu. Adhuc quidam ex laudatis Auctoribus, hunc ordinem esse servandum, ut quò delictum est gravius, eò citius reparetur, unde juxta illos restitui debent 1. debita ex rapina, 2. ex furto, 3. ex usuris, 4. ex contractu oneroso, 5. ex contractu gratuito: quia, inquit, cum ab omnibus culpis recedi non potest, ab iis primò recedendum est, quæ sunt graviore.

Secunda Sententia tenet, prius esse restituenda debita ex contractu oneroso, quam ex delicto; quia illa debentur duplici titulo, nempe fidelitatis, & justitiæ, hæc uno tantum justitiæ titulo. Quidam tamen hujus Sententiæ patroni eam restringunt ad usuram, easque solas dicunt esse postponendas debitis ex contractu; quia, cum solvens usuram aliquo modo consentiat, licet ægrè, est minus invitatus circa eas, quam circa debita ex legitimo contractu. Ita Cajet. in Summ. v. Restitutio c. 8. Gaugerius in notis 16. quos sequitur Pontas v. Restitutio c. 108.

Tertia Sententia nullum prælationis ordinem inter hæc debita agnoscit, censetque ea æquè primò esse restituenda pro rata. Ita communis, & probabilis cum Sylvestro, Banne, Sylvio, Lessio, & aliis.

Prob. Jus positivum nullum ordinem ullibi statuit inter hæc debita; neque ulla ratio evincit Jure naturæ esse statuendum, cum enim utrinque sit equalis detentio injusta rei alienæ, æqualis est utrinque obligatio; obligatio enim oritur ex injusta detentione: magis patebit ex solutione rationum, quibus innituntur priores sententiæ, Conf. Forum exterius non distinguit inter hæc debita: ergo signum est, quòd neque jure positivo, neque naturali sit distinguendum. Item Legibus civilibus stare debemus, quando nulla ratio nos cogit ab eis recedere. Igitur

Ad 1. pro 1. Sententia ex auctoritate D. Th. R. laudatum Opusculum non esse S. Doctoris: 1. Quia nullus veterum sub nomine S. Th. illius meminit. 2. Quia degenerat ab Aquinate, sive methodum, sive stylum, & doctrinæ qualitate recipimus, inquit Barbavarius apud Echard, & ideò Editores Romani minore characterè imprimi curaverunt.

Ad 2. R. ly esse invitum posse intelligi dupliciter. Quòd impatienti animo ferat rei suæ jacturam; hoc sensu magis invitatus non infert majorem obligationem restituendi: alioquin sequeretur, quòd illi, qui rem suam deperderit, prius deberet restitui, quòd est falsum. 2. Potest intelligi esse invitum, quòd non cedat jure suo, indeque velit obligare ad restitutionem: hoc sensu, qui patitur damnum sive ex delicto, sive ex contractu, est æquè invitatus.

Ad 3. R. obligationem restituendi non oriri ex injuria personali illata per furtum, vel rapinam (pro hac enim debet aliunde fieri satisfactio) sed ex detentione injusta rei: equalis autem, & æquè injusta est detentio in contractu termino solutionis elapso, ac in furto, vel rapina.

Ad 4. quidam respondent, esse primò recedendum a graviore culpa, quando sunt diverse speciei; non tamen, quando sunt ejusdem speciei; non enim si furatus fueris 30. a Petro & 20. a Paulo ideò prius teneris restituere Petro quam Paulo. Furtum autem, & rapina sunt ejusdem speciei quantum ad actum restituendi. Ita Auctor Suppl. Tourn.

R. 2. N. Suppositum argumenti. Non enim hic agitur de recessu a culpa, quæ jam fortè per veram poenitentiam deleta est, sed de obligatione reparandi damnum eo meliori modo, quo fieri potest: eum autem dicimus meliorem modum, si omnibus æquè primò rata restituatur.

Ad 1. pro 2. Sententia R. fidelitatem non exigere, quòd uni solvas cum dispendio alterius.

Ad 2. solum est superius. Non enim solvens usuram magis cedit jure suo, quam qui pecuniam dat latroni, ut manus ejus fugiat. Insuper inde patet infirmitas hujus argumenti, quòd ab utraque Sententia inter se contraria usurperetur.

Quæritur 3. Utrum debita certa non sint prius solvenda, quam incerta? Ante responsionem nota. Duplici sensu dicuntur debita incerta: 1. Quia dubium est, an revera debeantur. 2. Quia, licet certum sit, quòd debeantur, ignoratur tamen creditor. R. Debita, primò modo incerta posthabenda esse debitis certis, communis est Sententia Theologorum. Plures eam probant; quia, cum quis dubitat, an debeat, non tenetur restituere, ex eo quòd sit me-

lior conditio possidentis. Sed istud principium non esse universaliter verum, ostendimus supra art. 11. §. 5. & 6. maxime ubi agitur de obligatione restituendi ex injusta damnificatione; idem est ex contractu require ibi.

Quidam probant inde, quòd restituito primò, & principaliter ordinatur ad reparandum damna certa. Alii recurunt ad consensum unanimum Theologorum, qui in obscuris magni debet esse ponderis; & indicio est, quòd populi sic inter se quasi convenerunt. Addi potest, id videri conforme rectæ rationi, ut potius indemnem servet eum, cui certo debes, quam illum, cui fortè nihil debes. Cæterum non est improbabilis Sententia, aliquo singulari, recentioris Theologi Lovan. docentis esse restituenda debita æquè primò ac certa, sed proportionalitèr ad dubium.

R. 2. Debita 2. modo incerta etiam postponenda esse debitis certis, tenet quoque communior Sententia Theologorum, Lessii, Sylvii, Layman, &c. Puto tamen, oppositam sententiam esse probabiliorè, quam tenent ex recentioribus Henno, Dælmann, &c. creditor ignotus æquale jus habet, ac creditor notus; non enim aliquid sui juris amittit ex hoc, quòd inventi non possit: ergo æquè primò restituendum est, si non ipsi personalitèr, quia ignotus est, saltem secundum præsumptam ejus voluntatem illi, qui locum ejus tenent, nimirum pauperibus, aut causis piis, ut dixi supra de dominio dissert. 4. a. 2. §. 6. Confirm. Si dominus ignotus mitteret aliquem, qui ejus nomine debitum exigeret, ipsi foret restituendum æquè primò, ac creditoribus certis; atqui suo loco substituit pauperes, & causas piis: ergo.

Dices 1. cum Lessio, & aliis: Quòd bona incerta sicut & inventa, quorum ignoratur dominus, debeant erogari pauperibus, hoc est tantum ex jure positivo, aut ex pia consuetudine fidelium, quæ vim legis obnitiit, quòd atque debita certa notis creditoribus restituuntur, est ex jure naturæ: ergo. R. N. Ant. Ut enim probavimus loco citato de dominio, bona incerta sicut & inventa sunt jure naturæ restituenda secundum voluntatem præsumptam domini; hæc autem eorum voluntas præsumpta est, ut restituatur pauperibus, aut expendatur in causas piis. Vide loc. cit.

Dices 2. cum Perfectore Tourn. post Delago. Præsumi potest, voluntatem domini ignoti esse, ut prius solvatur creditoribus certis, & notis: ergo. Prob. Ant. hæc voluntas est pia, & domino favet: ergo jure præsumi potest: Prob. Ant. 1. est pia, quia pia est opem ferre iis, qui ære alieno gravati sunt, & premuntur a creditoribus, idque quoddam genus est eleemosynæ Deo acceptissimæ. 2. Favet domino ignoto; quia sic integrum ejus debitum servatur, ita ut si debitor ad pinguiorem fortunam redeat, teneatur Domino, cum comparuerit, restituere totum, vel si non compareat, in usus piis expendere: ergo, &c. Hæc ratio aridet, nec probabilitate caret. Attamen R. N. Ant. ad probationem N. Ant. ad probat. 1. N. iterum, quia illa indulgentia non est in favorem debitoris, qui hoc ipso, quòd totum quòd habet, restituit, excusatur ab ulteriori restitutione; sed est in favorem creditorum, qui, ut suppono, non sunt pauperes. Magis autem pius est verè pauperibus, quam creditoribus illis, debitum ignoti domini erogari, ideòque potiori jure præsumitur hanc esse ejus voluntatem. Ad 2. probationem fateor, quòd, si spes esset, fore, ut aliquando melior fortuna redeat debitori, & simul ut aliquando compareat dominus, tunc posset ejus debitum postponi, & integrum illi servari, sicque ipsum velle jure præsumeretur, ut etiam dixi loco citato de Dom. At nostra hypothesis est, quòd non sit spes saltem fundata, fore, ut aliquando debitor ad meliorem fortunam redeat, & simul aliquando compareat dominus: & in hac hypothesis negamus, esse domino utile, quòd, ipso omisso, certis creditoribus restituatur; proinde præsumi non potest, talem esse ejus voluntatem.

Inst. cum eodem: Debitor in casuposito ejusdem est conditionis, ac inventor; atqui secundum nos, & communem sententiam, qui rem alienam invenit, & est pauper, eandem sibi potest retinere: ergo debitor ære alieno gravatus potest de debito alieno satisfacere certis creditoribus. R. 1. Ex hac instantia sequi, quòd debitor possit restituere certis creditoribus rem ignoti domini in specie extantem, sicut eam potest sibi retinere inventor pauper; quòd tamen communitèr negatur etiam ab Auctoribus Sententiæ, quam opugnamus; cum ergo hæc instantia nimis probet, nihil probat. R. 2. N. Conseq. Ut enim esset legitima, deberet sic inferri: ergo talis debitor, si sit pauper, potest rem alienam sibi retinere: quòd verum est, si ita sit pauper, ut non habeat aliunde, quòd suis, & suorum necessitatibus quoad victum, & amictum subveniat;

non

non verò si sit tantum pauper hoc sensu, quòd non possit suis creditoribus integrè satisfacere, & in hunc hunc rem alienam sibi retineat; quia, ut dixi supra, præsumi non debet, talem esse domini voluntatem.

Dices 3. cum Ethica amoris; Pauperes non habent in hæc debita jus tam immediatum, tam certum, tam liquidum, quam creditoribus certi: ergo. R. Quidquid sit de pauperibus, dominum ignotum habere in hæc debita jus tam immediatum, tam certum, tam liquidum, quam creditoribus certi; & hæc ideò expendi debere secundum ejus voluntatem, ita ut ipsi fiat injuria, si aliter expendantur: voluntas autem ejus, ut sepè diximus, est, ut expendantur in usus piis.

Quæritur 4. An creditor pauper sit præferendus diviti? R. Probabilis negative per se loquendo: quia pauper non habet plus juris, quam dives: ergo.

Dices: Patitur majus damnum, quam dives; atqui restituito fit, ut reparatur damnum: ergo. R. D. maj. Patitur majus damnum subjective, quia est pauper, C. sed hoc est per accidens ad restitutionem, sicut enim ideò non tenentur ei plus restituere, ita nec prius quam alius æquo jure gaudentibus: patitur majus damnum objective, hoc est, violationem majoris & potioris juris, N. Ordinatur autem restituito ad reparandum jus violatum, quòd voco damnum objective. Opponitur insuper S. Thomas opusc. 73. sed jam probavi hoc opus non esse S. Doctoris. Dixi per se loquendo quia, si creditor pauper esset in extrema aut etiam forte in gravi necessitate, præferendus foret, saltem ex lege charitatis; quia tunc ipsi creditoris divites forent irrationabiliter invitati, cum & ipsi tenerentur huic pauperi in tali necessitate succurrere.

Quæritur 5. Utrum, qui inter creditores non privilegiatus, nec hypothecarios prius petit, sit præferendus? R. Si petat in judicio, constat inter Theologos, debitorem posse & teneri ei primò restituere integrè, etsi inde fiat impar aliis debitis non privilegiatis nec hypothecatis solvendis: quia secundum Jura L. Qui autem, & maxime L. Pupillus ff. Quæ in fraudem creditorum. Lib. 42. tit. 8. Diligentia meliorem ejus conditionem fecit, & acquisivit illi jus prælationis nam Jus Civile vigilantibus scriptum est. Id etiam verum esse, si privatim pateat, tenet communior & probabilior Sententia Sylvestr. Navarr. Less. Sylvii, Pontas, &c. Quia jura laudata non distinguunt inter petentem in judicio & petentem extra; nec aliud requirunt, quam ut creditor justè exigat, & ceteri creditores neglexerint actionem, quòd totum verificatur in petente privatim.

Quæritur 6. Utrum, si creditor non prius petenti debitor totum solvat, & inde fiat impotens alius equalibus creditoribus satisfacere, peccet contra Justitiam? R. affirmative: quia alius creditoribus tenebatur ex Justitia pro posse & rata satisfacere, eosque proinde damnificat totum alteri restituendo: unde tenetur de damno erga alios. Hoc etiam videtur verum, si non petentem morneat, ut petat, & sic illi prius integrè restituit; quia ista monitio est fraudulenta & injuriosa aliis creditoribus, nec talis petitio facit creditorem diligentem, nec consequenter, secundum Jura, melioris conditionis.

Sed utrum talis creditor totum recipiens peccet etiam contra Justitiam, & teneatur aliis restituere id, quòd habet ultra suam ratam? Negant Lessius, Ethica amoris, & alii: affirmant Sylvius, Perfectore Tourn. Dælmann, & alii: eorumque Sententia nobis videtur probabilior, supposito tamen, quòd creditor sciat, debitorem inde fieri impotentem aliis satisfacere: quia, licet recipiat id, quòd non est determinatè obligatum aliis, & ejus debitor habet adhuc dominium, tamen cooperatur injustæ debitoris actioni recipiendo totum, quòd illi non poterat secundum Justitiam solvere, sicutque habetur particeps in crimine & obnoxius restitutioni. Dixi: supposito quòd sciat, debitorem inde fieri impotentem aliis satisfacere: si enim nesciat, non peccat, nec ullo titulo tenetur restituere; non titulo rei acceptæ, quia, quòd accepit, validè accepit; cum esset ipsi debitum, & debitor haberet adhuc ejus dominium; nec rationi injustæ acceptationis, quia bona fide processit.

Dices contra resolutionem: Talis creditor non recipit, nisi quòd suum est: ergo. R. dato Antec. N. Conseq. quia non dicimus, eum peccare & teneri ad restitutionem, præcisè quia alienum accepit, sed quia accipiendo suum cooperatus est injustæ actioni debitoris, in eo damnificans alios creditores, unde tenetur tamquam particeps in crimine.

Opponit insuper Lessius L. Quod ante a ff. Quæ in fraudem, &c. Verum illa Lex loquitur de eo, quem diligentia

in petendo potiorè jure effecit, ut patet ex verbis, quæ subjungit, sibi enim, inquit, vigilavit.

Hinc inferes, a fortiori peccare & restitutioni obnoxios esse, qui sive munera, sive lautitas accipiunt ab iis, quos vident inde fieri impares creditoribus suis satisfacere, complent enim injustitiam talis debitoris. Excipie tamen, quæ debitor dat uxori & liberis necessaria ad victum & amictum, statimque decentè conservandum; hæc enim ipsi ex Justitia debet, neque necesse est hæc omitti, ut fiat restituito, sicut dicam art. seq. Excipie etiam, si Donatarius tantumdem rependat donanti, ita ut ex dono non minuatur facultas satisfaciendi creditoribus.

ARTICULUS XX.

De Causis excusantibus a restitutione.

Regula generalis, in qua fundantur omnes causæ excusantes a restitutione statim vel absolute faciendâ, hæc est: Quotiescumque dominus rationabiliter consensit debet, quòd restituito, differatur vel omittatur, potest differri, vel omitti, licet de facto sit invitatus: quia detentio rei alienæ non est injusta, nisi sit rationabiliter invitatus dominus.

Ex hoc generali principio, lumine naturali noto, assignantur sequentes causæ excusantes a restitutione statim vel absolute faciendâ.

Prima causa excusans a Restitutione.

EST impotentia debitoris: sive physica, ut si nihil omnino habeat ad restituendum, ad impossibile enim necino tenetur: sive moralis, hoc est, magna restituendi difficultas. In moralibus enim illud dicitur impossibile, quòd est valde difficile: quòdque decentè ac honestè fieri non potest: quia scilicet tunc creditor irrationabiliter vellet, inde fieri restitutionem. Hæc autem causa tandiu excusat a restitutione, quantum durat, sic ut quasi sopiatur durante impotentia, & ea cessante reviviscat.

Porro impotentia moralis, seu magna difficultas restituendi admodum latè extenditur: unde, 1. est impotentia moralis per se & regularitèr loquendo, quando quis restituere non potest absque gravi detrimento bonorum superioris ordinis, pro quo nota, posse distinguere bona quadruplicis ordinis. 1. Bona animæ, non solum naturalia ut intellectus & memoria, sed maxime quæ spectant salutem æternam, ut gratia, fuga peccati, &c. 2. Bona corporis, ut vita, integritas membrorum, sanitas, virginitas, libertas. 3. Honor & fama. 4. Bona fortunæ, seu divitiæ.

Dicimus itaque, bona inferioris ordinis per se & regularitèr loquendo non esse necessariò restituenda cum gravi detrimento bonorum superioris ordinis, v. gr. bona fortunæ cum dispendio famæ, fama cum dispendio vitæ, &c. est communis Sententia. Ratio est: quia id dominus irrationabiliter exigeret, cum sit contra ordinem charitatis, nec ita secum agi vellet. Insuper non servatur æqualitas, cum debitor longè plus detrimento pateretur, quam sit creditoris detrimentum. Dixi: per se & regularitèr loquendo: quia potest contingere, quòd bonum superioris ordinis ita attenuetur, & bonum inferioris ordinis ita augetur, ut secundum prudentem hominum æstimationem istud pluris valeat, quam illud in ordine ad vitam civilem, sic plura millia aureorum pluris æstimantur hominum judicio, quam levis infirmitas, aut fama vilissimæ personæ: & tunc restituito boni inferioris ordinis faciendâ est cum dispendio boni superioris ordinis, alioquin foret rationabiliter invitatus creditor.

Neque obstat; si dicas cum Henno, bonum superioris ordinis, quantumvis minuatur, semper manere superioris, & prævalere bono inferioris ordinis quantumcumque aucto, sicut Angelus infimus prævalet homini præstantissimo. R. Id verum esse physicè & materialitèr, non verò moralitèr & in ordine ad vitam civilem secundum prudentem hominum æstimationem, sicut v. gr. licet unum aureum physicè & materialitèr prævaleat centum argenteis, secus tamen moralitèr & in ordine ad commutationes.

Ex dictis inferes 1. Patrem familias a restitutione excusari, si ea ex imminet periculum, ne ex fragilitate filii prostituatur, filii fiant latrones, &c. dico ex fragilitate; quia si id minarentur ex malitia, non excusaretur, cum propter alterius malitiam creditor suo debito fraudari non debeat, & alioquin aperiretur via injustis hominibus alienam invadendi, aut detinendi. Inferes 2. Te non teneri restituere gladium repetenti in internecionem inimici, neque pecunias abusuro ad usuram, ad simoniam, ad ebriitates, ad lu-

lupanaria, & ut jam dixi art. 13. require ibi. Adverte tamen, in his & similibus casibus debere adesse aliquam certitudinem peccati futuri, quod impediatur per dilationem restitutionis: si enim qualescumque suspicio sufficeret, daretur ansa debitoribus curiosis inquirendi in actiones creditorum, & facile fingendi pretextus non solvendi.

Inferes 3. Mulierem adulteram ordinariè non teneri crimen suum revelare, ne damnificentur proles legitimæ ex prole adulterina. Similiter nec Notarium aut Testem teneri falsum scriptum, aut falsum testimonium fateri, ut damnus fortunæ reparetur, licet teneantur alia tutiore via si possint illud reparare.

Infer 4. E contra metu infamiae non excusari a restitutione eum, qui jam propter priora furta fuit difflamatus, neque eum, qui cum sit vilis & obscuræ famæ, ingentem summam furatus est.

2. Impotentia moralis restituendi est, non solum extrema, sed etiam gravis necessitas debitoris, vel suorum. Extrema necessitas est, cum vita periclitatur, nisi subveniatur. Gravis est, cum vita ægrè admodum duceretur, aut imminet periculum gravis mali morte inferioris, nisi succurratur. Ratio semper eadem: quia irrationabilis esset dominus, qui vellet in tali casu sibi restituere. Ità communitur. Unde artifex v. gr. non tenetur, ut restituat vendere instrumenta artis, quibus sibi & familiæ victum & amicum comparat, neque plebejus pauca utensilia, vestes, lectum sibi & familiæ necessaria.

Secundum difficultas est, utrum, si creditor sit in pari necessitate, debitor tunc teneatur restituere? R. Si agatur de extrema necessitate communis sententia contra Scotum & quosdam Scotistas, tenet, debitorem etiam tunc non teneri restituere, nisi per ipsam rei alienæ ablationem creditorum in hanc extremam necessitatem conveccerit. Id extendit Sylvius, post Lessium, Soto, &c. ad parentes, uxorem & filios debitoris, si sint etiam in extrema necessitate. Imò Lessius contra Soto, ad ejus fratres. Ratio est: quia, cum Jure naturæ omnia sint communia, & eodem Jure unusquisque habeat jus conservandi vitam per res temporales, quæ Auctore naturæ in hunc finem creavit, bonorum divisio, quæ Jure Gentium introducta est, non potuit hinc ordinationi naturali præjudicium ferre, quapropter in extrema necessitate omnia iterum fiunt communia, sique in ea constitutus, quod possidet sibi necessarium, possidet ut suum & non ut alienum, & consequenter non tenetur abdicare.

Dixi: nisi per ipsam rei alienæ ablationem creditorum in hanc extremam necessitatem conveccerit: ut si v. gr. naufragum tabulam, sine qua submergens est, auferat: quia in pari causa melior est conditio possidentis? creditor autem est in possessione illius rei, quam ipsi subtrahit debitor, & ex cuius subtractione conveccit in extremam necessitatem. Si vero agatur de gravi tantum necessitate debitor tenetur restituere; quia in sola extrema necessitate & non in gravi omnia sunt communia: unde tunc melior est conditio creditoris, quam debitoris. Exigit enim æquitas naturalis, ut si ex rei absentia aliquis debeat pati damnum; illud potius subeat is, ad quem res non pertinet, quam ille, cuius est.

Dices cum Francisco Henno contra primam partem. Ex hac assertionem sequitur, quod crimen favoreat reo, si sit debitor ex delicto: ergo. R. Non delictum favoreat debitori, sed Jus naturæ; quo omnia constituuntur communia in extrema necessitate.

Inst. In pari causa melior est conditio innocentis, quam nocentis: ergo. R. D. Si nocens non possideat, C. Si possideat, N. Qui in extrema necessitate possidens suum possidet & non alienum ex quo fit, quod melior sit conditio possidentis.

Dices 2. Secundum unanimum Theologorum sensum, qui calumnia vel falso testimonio conveccit aliquem in periculum mortis, tenetur retractare calumniam, vel falsum testimonium etiam cum periculo vitæ propriæ: ergo similiter. R. Etiam nos dicimus, quod, si ablatio rei convecciat creditorem in extremam necessitatem, debitor teneatur restituere. Hic autem contrarium supponimus, scilicet quod extrema necessitas aliunde proveniat.

Repones: Si debitor solveretur, aut res ablata redderetur, creditor non foret in extrema necessitate: ergo detentio debiti, vel rei ablatae est semper causa, cur sit in extrema necessitate. R. N. Consequens. Non enim, qui non impedit malum aliquod, est causa illius, nisi quando potest & tenetur impedire; in nostro autem casu debitor non tenetur impedire extremam necessitatem creditoris per restitutionem. Itaque, dum à naufragante v. gr. eripis ta-

bulam, qua sola salvari potest, es vera causa illius mortis, quia, inquit Soto, est actio, qua alteri vitam directè adimis, ac si hominem strangularas. Quando vero autē naufragium tabulam surripuisti, & apud te habes, dein de superveniente tempestate creditor incurrit discrimen vitæ, non tu in illam extremitatem conveccis, sed suborta tempestas; nihil enim agis, sed tantum cessas succurrere non reddendo tabulam: at vero non succurrere, cum possis, non est directè occidere; neque etiam per accidens, nisi quando teneris, & in tali casu non teneris.

3. Est impotentia moralis restituendi, quando restitutio fieri non potest absque eo quod debitor cadat a statu legitimè acquisito; quia tunc et gravis necessitas, & insuper fieri non potest talis mutatio absque gravi debitoris, & familiæ dedecore. **Dixi: a statu legitimè acquisito:** quia si furtis, rapinis, usuris, concussionibus statum sibi comparasset, teneretur cum jactura talis status restituere, cum non sit à suo statu cedere, sed alienum dimittere, hoc non sit ad suum redire. Imò, si nihil haberet nisi injustè acquisitum, teneretur totum restituere quantum extra extremam necessitatem carere potest: nisi fore in utroque casu gravis necessitas carere potest: nisi fore in utroque casu gravis infamia excusaret. Porro non est infamia, quod quis a statu publicis usuris, aut exactioibus aucto descendat: secus, si passim habeatur vir probus, & ejus injustitiæ sint occultæ, tunc non tenetur subito statum mutare, sed potest paulatim restituere.

Hinc inferes, virum nobilem, ut quadam male parta restituit, non esse cogendum, ut artem mechanicam exerceat, alius inserviat, aut alia faciat, quæ statum suum dedecet: debet tamen statum suum minuere, superfluis & pompam spectantibus expensis parcere, famulorum, equorum, &c. numerum remittere, lautiores mensæ apparatus rescindere &c. Similiter filium adulterium, qui bona fide pervenit ad statum honorificum, ubi resciverit se esse spurium, & ea, quæ possidet esse aliena, non teneri cum infamia & totali status jactura omnia simul & semel restituere, sed minuere statum dumtaxat ut possit paulatim restituere. Excipiunt communitè Casuistæ ab hoc beneficio illos, qui ludis, comassationibus, aliisque sumptibus superfluis & illicitis ad eas rediguntur angustias, ut restituere non valeant, nisi a suo statu cadant; quia, inquit, hi non merentur dilationem à creditoribus, qui proinde respectu illorum sunt rationabiliter invitati: ad id attendant, qui sine fine debita contrahunt, ut supra statum sui conditionem expendant, & licentius vivant.

4. Est impotentia moralis restituendi; quando debitor restituendo pateretur damnum longè majus in suis bonis ejusdem ordinis, quam creditor ex carentia rei suæ, vel sui debiti: ut si ad restituendum debitum pecuniarium coereretur vendere domum, prædium, longè minoris pretio, quam valeat; si ad rem remittendam expensas longè majores, quam ipsa valeat, debet facere, ut jam dixi supra. **Dixi: damnum in suis bonis;** quia, si damnum, quod restituens pateretur, nihil aliud foret, quam rei restituenda, non sufficeret ad dilationem restitutionis: alioquin quod majus foret debitum, eo minor esset obligatio restituendi, quæ sanè foret optima magnis furibus conditio. Neque etiam sufficeret, si non pateretur aliud damnum, quam lucri cessantis ex restitutione: non enim est æquum creditorem re sua, aut suo debito privati, ut debitor ex ea lucraret: nisi forte spes fundata esset, fore, ut debitor differendo restitutionem ita posset lucrari, ut omnibus creditoribus satisfaciatur: tunc enim videtur, quod creditor debeat pati aliquam dilationem.

Dices contra hæc & præcedentes assertiones: præceptum restituendi reducitur ad præceptum: Non furaberis. & in eo fundatur, ut dictum est alibi; atqui non licet furari neque in gravi necessitate, neque metu cadendi a statu, aut alienis damni temporali: ergo nec detinere alienum, seu non restituere. **Confirmatur.** S. Thomas hic & alibi hæc duo æquiparat, rem alienam surripere, & detinere: ergo. R. 1. Hoc argumentum nimis probare, adeoque nihil: ex eo enim sequitur, quod nec pro vitando peccato proximi, nec pro vitanda morte intentata ab aliquo, nec pro conservanda fama liceat omittere, aut differre restitutionem, quia non licet propter has causas furari: quam tamen sequelam nemo, ut sciam, admittit. Et hoc evidens signum est, quod, furari plus dicat, quam non restituere, & inter utrumque esse disparitatem. Unde R. 2. N. Consequens. Prima disparitas est, quod, licet præceptum restituendi reducatur ad præceptum: *Non furaberis*, differunt tamen cum unum sit affirmativum, aliud negativum; istud prohibeat actum vitii, qui nunquam est licitus, illud præcipiat actum virtutis: ut sit autem actus virtutis, debet ves-

tiri suis circumstantiis loci, temporis, opportunitatis, & aliis: unde non præcipit restitutionem, nisi dum adest tempus, locus, opportunitas, & commoditas restituendi: non est autem opportunitas, nec commoditas restituere cum tanto dispendio. Secunda disparitas, est quod furari pro gravi damno vitando, foret eversivum Reipublicæ, & bono communi penitus nocivum, utpotè viam aperiens furtis impunè multiplicandis, dum quisque Judex in propria causa constitutus, & cupiditate incensus fingeret facile damnum grave, ubi non foret, sicque omnia furtis & furtibus repletur; id autem non sequitur ex dilatione restitutionis propter grave damnum. Unde in 1. casu est invitatus rationabiliter dominus, non in 2. Confer, quæ dixi art. 13. §. 6. concl. 1. obj. 2. Ad D. Th. R. Intelligendum esse, quando utrimque dominus est rationabiliter invitatus, seu, ut dicit Sylvius, quando est opportunitas restituendi. Evidens est enim ex dictis, non restituere, & furari non esse omnino idem.

Petes 1. Utrum, si creditor ex dilatione restitutionis causata per impotentiam moralem patiatur damnum emergens, aut lucrum cessans, illud tenetur restituere debitor, si postea melior fortuna ipsi ardeat? R. 1. Si sit debitor ex delicto, tenetur: item, si sit debitor ex re accepta, seu contractu, sed fuerit in mora graviter culpabiliter restituendi, tenetur: quia, licet nunc non restituendo non peccet, peccavit tamen, & ex ejus culpa provenit istud damnum creditoris. *Si autem tua culpa, inquit Greg. IX. jam sæpè cit. damnum est damnum... jura super his te satisfacere oportet.*

Putarem tamen, excipiendum esse illum, qui non solum non teneretur, sed nec licitè potest restituere; ut qui differret restituere pecunias absurdo ad usuras, ad meretricia, &c. quæ absolute per ipsum non stat quā fiat restitutio, & damnum impediatur. R. 2. Si sit debitor ex re accepta, aut ex contractu, nec fuerit in mora culpabiliter restituendi, probabile reputat Lessius, & post ipsum Perfector Tourn. non teneri de damno emergente, aut lucro cessante, cum non sit causa injusta illius damni: ad stipulatur Regula Juris 41. in 6. *Imputari non debet, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.* Quod tamen limitant, si debitor sit in gravi, aut extrema necessitate; secus, si ex restitutione solum patiatur aliquod damnum pecuniarium, sicut creditor. Sylvius limitat ad solum casum extreme necessitatis; quia, inquit non videtur æquum, quod creditor proroget restitutionem suo damno. Unde non videtur irrationabilis, si consentiat dilationi restitutionis, ut tamen velit quantum quod ex ea patitur, sibi resarciri, si debitor aliquando valeat: idque mihi videtur probabilis: licet forte possit a restitutione talis damni excusari debitor, si eam non exigit creditor. Ad legem autem cit. potest responderi, quod per debitorem stet restituere, quia potest absolute; quod si omittet, suo commodo consultit.

Petes 2. Utrum, qui urgente extrema necessitate restitutionem omisit, tenetur, ea transacta, restituere? **Questio non est de re adhuc extante;** quia certum est esse restituendam: ut si æquo alieno usus fueris in extrema necessitate, ea cessante teneris restituere; quia extrema necessitas non facit omnia communia nisi in quantum est sibi necesse. Non est etiam questio de simplici debito, ut si v. gr. ratione contractus, aut rei furtive consumptæ debeat decem aureos: quos propter extremam necessitatem præsentem non restituit, sed consumit: certum est enim, te etiam debere illos, necessitate transacta, restituere si possis; quia non consumpsisti alienum, sed tuum. Sed est questio de re in specie debita, & in extrema necessitate consumpta: ut si panes alienos, antea furto sublatos, superveniente postea extrema necessitate consumas, an ea cessante, teneris reddere?

Quidam affirmant, dicuntque, obligationem restituendi in extrema necessitate sopiri tantum, non extingui, & ea cessante reviviscere: quia dominus non censetur concessisse usum rei suæ necessitatem extremam patienti, nisi ea lege ut hac transacta restituito ipsi fieret, cum hoc sufficiat ad evadendum periculum. Ità Lessius citans Scotum, Sylvestr. Palud. Item Sylvius, Perfector Tourn. &c. Negant alii; quia in extrema necessitate independentè a voluntate domini omnia sunt communia, quantum opus est ad vitandum periculum: unde, qui rem alienam in ea consumit, non tenetur restituere ratione rei acceptæ, quia amplius non extat; neque ratione injustæ acceptationis, quia eam consumendo suam consumpsit, & Jure suo consumpsit non etiam ex contractu, quia nulla culpa in ejus lateribus adfuit: proinde prior obligatio sive ex delicto, sive ex contra-

Theol. Billuart. Sectunda Secunda.

tractu non conferente dominium non manet amplius, sed extinguitur, eo modo quo, si res furto ablata non remaneret amplius aliena, sed per donationem domini fieret furis exin-gueretur prior obligatio ex furto contracta.

Conf. Qui in necessitate extrema accipit rem alienam apud dominum existentem, & consumit, necessitate transacta non tenetur restituere secundum communiorè opinionem. apud Sylvium q. 66. a. 7. concl. 2. præsertim si indigens sit absolute pauper, ita ut nihil habeat in re, vel in potentia propinqua: ergo nec, qui consumit prius apud se existentem. Patet consequentia; quia extremam necessitatem patienti est communis res aliena, non solum apud dominum existens, sed etiam apud ipsum patientem existens. Hæc Sententia, quæ est Serræ hic a. 8. dub. 2. mihi probatur, præsertim si intelligatur de eo, qui nihil omnino habet nec in re, nec in potentia propinqua; si enim saltè in spe propinqua habeat aliquid, non censetur absolute pauper nec simpliciter in extrema necessitate, sed secundum quid tantum. Veram, quia est rarissima praxis, non immeror.

Secunda causa excusans a Restitutione.

Est remissio facta a creditore; ea enim posita, non amplius detinetur alienum invito domino.

Ut autem valeat, tres communitè requiruntur conditiones. Prima est, ut remittens possit remittere, proindeque habeat dominium simul & administrationem rei remissa. Unde non valet remissio facta a Pupillo, Religioso, Filiofamilias, nec a procuratore rerum alienarum, exactore vectigalium, seu mulctarum, nisi auctoritatem hanc specialiter a domino acceperint.

Secunda est, ut lex non obstat, seu ut is, cui sit remissio, non sit ad eam inhabilis per leges: sic sunt inhabiles visitantes Ecclesias, aut Judices delegati quoad id, quod recipiunt ultra sumptus necessarios, quod debent restituere non obstante quacumque remissione. *C. Barig. tit. de censibus in 6. & cap. Statutum de rescriptis ibid.* Idem Canonici, qui non intersunt divino officio quoad distributiones, quas restituere debent, quantumvis eas illis remittant alii, quibus accrescunt. *Trid. Sess. 24. cap. 12. de reform.*

Tertia est, ut remissio fiat spontaneè & liberè sine vi, vel fraude; est enim species donationis, quæ debet esse omnino liberalis & spontanea. Nulla est ergo remissio debiti, minus aut quovis metu extorta, ut si dicat debitor: non tibi solvam, nisi dimittis dimidium, vel partem; quod non raro contingit potentibus debitoribus. Item nulla est, si debitor se fingat impotentem, aut longè pauperiorè quam sit.

Id seriò advertant, qui pretextu indigentie componunt cum creditoribus, quorum singuli, ne totum amittant, partem remittunt, dum tamen debitor plus posset solvere, quam reverè solvat.

Tertia Causa.

Est cessio bonorum, seu, ut alii dicunt, cessio forei: cum, nempe debitor, omnibus suis debitis solvendis impar, quæ ipsi supersunt, bona creditoribus dimittit.

Hoc remedium miserabile & sterile, ut loquuntur Jura, introductum est, ut debitores, qui olim in servitutem temporariam adducebantur, aut in carcerem detrahebantur, donec debita solvissent, ab hoc utroque malo liberarentur. His solum conceditur, qui non ex malitia, dolo, fraude, &c. sed ex adversa fortuna sunt facti impotentiores.

Est ergo talis cessionis privilegium, ut debitor non possit amplius propter debita conveniri coram judice, nec carceri tradi; & si sit traditus, ab eo debeat liberari. Quod si post cessionem aliquid modicum ad decentiam status necessarium acquisiverit, non potest iterum a prioribus creditoribus conveniri, ut hæc ejus pauca bona vendantur; secus, si multa acquisiverit. Ità L. 1, quæ L. Qui bonis L. Si debitoribus ff. de cess. Bon. tit. 3. lib. 42. Hæc pro foro externo, quod solum spectat hæc bonorum cessio. Quantum vero ad conscientiam forum, non magis excusat a restitutione hujusmodi cessio, quam excusaret necessitas sine cessione.

Hinc sequitur 1. quod, qui cedit bonis, possit retinere, quæ sunt sibi, & familiæ necessaria secundum decentiam status: si tamen hæc sint legitimè acquisita, eo modo quo dixi supra de impotentia morali: unde non peccat ea occultando, neque qui ipsi ad hoc cooperantur, res tamen periculo non vacat, cum sæpè plura abscondantur, quam sint necessaria secundum decentiam status: sit ergo penes prudentem Confessarium, vel alium virum timoratum hæc determinare ex æquo & bono: caveantque ce-

dentis, ne, si compareant coram iudice, jurent se nihil accepisse, alioquin duplicata recipere, cum vi legum ipsis necessaria sint assignanda, si non retineantur.

Sequitur 2. quod, si debitor cedens bonis, postea ad pinguiorem fortunam redeat, teneatur quod debitorum superest solvere; quia, ut dictum est, cessio non excusat a restitutione, nisi ratione impotentiae, seu necessitatis: ergo cessante causa, cessare debet effectus: idque leges passim clare statuunt: sic L. 1. C. Qui bonis cedere possunt. tit. 71. l. 7. habetur: Qui bonis cesserint, nisi solidum creditores receperint, non sunt liberati: in eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne iudicati detrahantur in carcerem.

Sed quid, si debitor cedens bonis componat cum creditoribus, uniusque partem v. gr. 20. pro centum solvens, teneaturne adhuc totum residuum solvere, si ad pinguiorem fortunam redeat? R. affirmative: Quia creditores in vii compositi ex eo, quod non possunt nunc plus habere; nec ideo censendi sunt cedere jure, quod habent ad residuum, si debitor possit aliquando solvere, nisi forte supponas, creditores omnino sponte, ac libere in gratiam miseri debitoris ipsi condonare reliquum; quod raro fit, & puto raro posse praesumi, nisi exprimat. Neque dicas, ignominiosam ceremoniam; quam obire debet debitor in cessione bonorum, esse ipsi loco integre solutionis, ut qui non potest solvere in aere, solvat in cute, ut dicitur proverbialiter. Quia haec poena non imponitur debitori, ut liberetur a debito, sed ut sine necessitate non recurrat ad hoc beneficium, & puniatur culpa, quam praesumitur admisisse, contrahendo debita, cum esset solvendi impotens. Pro quo

Nota, cessionem bonorum fieri olim absque ulla solemnitate: sed cum quidam fingerent paupertatem, ut eo beneficio gauderent, & dolose debita contraherent, ut his fraudibus aliquatenus obviaretur, inductae sunt quaedam solemnitates cedentibus ignominiosae. In Gallia debent comparere personaliter in iudicio discreti, & nuda cervice, ac deinceps deferre pileum viridem; usu tamen nunc receptum est, inquit Perfector Tourn. ut eo non se cooperiant, sed eum apud se servant. Alibi sedere debent in loco publico cum corbe capiti imposito. In Belgio Edicto Caroli V. statutum est, ut Litteras cessionis impetratas infra mensem in iudicio deferant, jurentque se non habere plura bona, quam quae creditoribus dimitunt, & tunc commiserationis ergo conceditur ipsis parva suppellex necessaria ad victum.

Nota insuper, Clericos non indigere hoc beneficio, ne propter debita tradantur carceri: sed hoc ipsis a Jure privilegium concedi, ut independenter a cessione bonorum non aliter possint coram iudice conveniri, quam ut solvant quod possunt, & cautionem praestent solvendi cetera, si ad pinguiorem fortunam devenierint, relicti ipsis necessariis secundum decentiam status. Ita communiter Theologi & Canonistae in cap. Olearius de solutionibus.

Petes, quid sit censendum de Litteris moratoriis, vulgo *Litterae de repti*, quae a Principe, vel supremo Senatu solent concedi ad quinquennium? R. indubium esse, quod elapso quinque annis debitor teneatur ad solutionem secundum posse. Ut autem valeant hae Litterae in foro conscientiae, debet debitor bona sine procedere, nec se fingere impotentem solvere, cum non sit, nec post obtentas Litteras occultare, sed amovere bona in praesidium creditorum.

Quarta Causa.

Est ingressus Religionis, circa quem est duplex difficultas: 1. an illi, qui est aere alieno gravatus, liceat Religionem ingredi, non persolutis debitis: 2. an Religiosus factus absolvatur ab obligatione restituendi?

Circa 1. difficultatem suppono 1. hujusmodi debitoris professionem Religiosam esse validam: quia est de meliori bono: & licet Sixtus V. an. 1587. Bulla *Cum de omnibus* prohibuerit, & irritaverit professionem illorum, qui ingenti aere alieno, aut reddendis rationibus erant obligati, declarans sic profitentes inhabiles ad Religionem, & acceptantes ad quasvis dignitates; tamen Clemens VIII. an. 1602. temperavit priorem Sixti Bullam, tollens irritationem professionis, manente prohibitione sub iisdem poenis. Sed quomodo valida, si illicita? ut sit enim valida, debet a Deo acceptari, Deus autem non acceptat actionem illicitam, & malam. R. Quamvis haec professio sit illicita ex parte voventis; quatenus est obnoxius debitis, tamen bona ex parte materiae, quae est observantia trium votorum. Deus itaque acceptat obligationem ad hanc observantiam, non autem actionem, quae mala est ex parte

voventis. Secus esset, si voveret profiteri Religionem: quia, cum professio sit ipsi illicita, ut dicam modo, tale votum foret de re mala, adeoque nullum.

Suppono 2. Debitorem, qui potest hic, & nunc satisfacere suis creditoribus, graviter peccare, si, antequam satisfaciatur, profiteatur religionem, in qua non poterit satisfacere: quia nulla est ratio, nulla necessitas non solvendi, si, que sunt rationabiliter invitati creditores. Suppono 3. Quod, si nulla, aut vix ulla sit spes satisfaciendi creditoribus, quantumvis debitor maneret in saeculo, tunc posset, cessione facta creditoribus suorum, ex tunc ingredi Religionem; quia in hoc nihil nocet creditoribus. Idem dicendum, si ex diuturniori mora in saeculo grave, & speciale ipsi immineret periculum salutis; quia bona fortunae non sunt restituenda cum dispendio salutis animae, ut dixi supra, nec quantum ad hoc forent rationabiliter invitati creditores. Similiter, si non possit restituere nisi per media insolita, & ipsum dedecentia, ut si nobilis deberet exercere artem mechanicam; aut inservire ad restituendum; quia, ut dixi, tunc censetur impotentia moralis. Item etiam statim ingredi posset, si Monasterium se debitis solvendis adstringat.

Tota ergo difficultas devolvitur ad casum, quo debitor manens in saeculo possit, quamvis longi temporis spatio, debita solvere; an tunc ipsi liceat Religionem ingredi, ubi erit solvendo impar? Quidam tenent id ipsi licere, modo cedat bona sua creditoribus, quamvis intra breve tempus manens in saeculo possit satisfacere, & hanc Sententiam tribuunt D. Thomae, sed male. Alii dicunt, id ipsi licere, si intra breve tempus, puta biennium, manens in saeculo, non possit satisfacere: teneat autem diserte ad hoc breve tempus, si spes sit, fore, ut tunc possit satisfacere. Et haec sententia est probabilis. Alii tandem negant id ipsi licere, si possit, etiam longi temporis spatio, solvere. Et haec Sententia, extra casus tertiae suppositionis, sicut est nunc communior, ita mihi videtur aliquo usque probabilior.

Ratio est; quia solvere debita est opus praecipuum, ingredi Religionem opus consilii; atque, ubi concurrunt praecipuum & consilium, certo certius postponendum est consilium praecipuo, & maxime si ex consilio contrahatur impotentia satisfaciendi praecipuo: ergo. Neque dicas, cum, qui non potest nisi longi temporis spatio satisfacere censeri impotentem moraliter: quia, si maneret in saeculo non censeretur impotens, & teneatur satisfacere: ergo ex assumpto consilio ingrediendi Religionem non potest censeri impotens, Conf. Filius non potest ingredi Religionem, si Parentes gravi necessitate pressi ejus ope indigeant, ut docet D. Th. de Pietate: ergo nec debitor, si possit satisfacere. Neque refert jus Parentum esse strictius jure creditorum: dato enim quod foret minus strictum, nihilominus magis obligaret, quam consilium, hoc ipso quo est praecipuum: Non urgo Bullas Pontificum, quia possunt intelligi de illo qui habet actu, vel in potentia propinqua, quo possit solvere ad sensum 2. vel 3. suppositionis.

Obj. 1. Auctoritatem D. Thomae, qui q. ultima hujus Partis a. 6. ad 3. sic loquitur: *Si tamen debeat aliquam pecuniam, & non habeat, unde reddat, teneatur facere, quod potest, ut scilicet cedat bonis suis creditoribus; propter pecuniam autem personam liberi hominis secundum Jura Civilia non obligatur, sed solum res; quia persona liberi hominis superat omnem aestimationem pecuniae. Unde licite potest, exhibitis rebus suis, Religionem intrare; nec teneatur in saeculo remanere, ut procuraret, unde debitum reddat.* R. Haec verba, fateor, nude sumpta parum difficultatem, nec parum favent 2. Sententiae, quam dixi probabilem. Quia tamen S. Doctor in eadem responsione dicit: *Ille, qui est obligatus ad aliquid certum, non potest illud praetermittere facultate existente: & ideo, si aliquis sit obligatus, ut alicui rationem ponat, vel ut certum debitum reddat, non potest hoc licite praetermittere, ut Religionem ingrediatur.* Evidens est ex his verbis, iuxta eundem S. Th. quod nullus possit licite omittere solutionem possibilem debitorum, ut Religionem ingrediatur; possibilis est autem in nostro casu: unde ut objecta verba cum praesentibus conciliantur, videntur intelligenda in casibus 3. suppositionis, nimirum de eo, qui etiamsi maneat in saeculo, vix ullam, aut levem admodum spem habet satisfaciendi, aut qui non potest satisfacere nisi per opera ipsam dedecentia, aut cui tandem salutis periculum imminet, si remaneat: is enim potest cedendo bonis suis intrare Religionem, nec teneatur manere in saeculo, ut procuraret, unde debitum reddat; cum non sit verisimile, ipsum aliquando habiturum, saltem congruentibus mediis. Et cum dicit S. Doctor: *Propter pecuniam*

niam personam liberi hominis secundum Jura Civilia non obligari, sed solum res: verum est hoc sensu, quod propter debitum pecuniarium non possit vendi, aut in servitute tradi: quia hoc Jura vetant, &, ut recte dicit S. Doctor, persona liberi hominis superat omnem aestimationem pecuniae. Nemo tamen negabit hoc sensu obligari, quod debeat laborare & operari, ut debitis satisfaciatur, nec possit se illis satisfaciendis impotentem reddere; hoc enim Juri naturali repugnat; quod tamen fieret, si ingrederetur Religionem. Ita S. Thomae interpretatur Sylvius cum aliis.

Obj. 2. Nemo teneatur solvere debitum cum detrimento majoris & altioris boni; atque bonum Religiosum est majus & altioris ordinis, quam bonum pecuniarium proximo debitum: ergo. R. 1. Majorem esse veram de bono majori jam acquisito, non autem acquirendo: non enim posset quis praetermittere restitutionem, ut majorem famam, vel honorem consequatur. 2. Debitor, omittens bonum Religiosum, ut debitis satisfaciatur, non patitur grave detrimentum salutis licet enim Religio sit securior, sunt tamen alii status in saeculo securi; nisi, ut dictum est, imminet in saeculo speciale periculum salutis, quod solo ingressu Religionis non nisi difficile, evitari possit.

Inst. Valde durum videtur, quod quis per 20. 30. 40. annos, imò per totam & longissimam vitam zelo divinae gloriae & suae salutis incensus, tanto bono, medio tam salubri privari debeat, ut debitum temporale solvat: id sanè sapienter impotentiam moralem, nec in hoc videtur rationabiliter invitati creditores, eo magis quod Tribunalia secularia tantum rigorem non exerceant erga debitores; sed, ut constat ex praxi, sufficit ipsis, si debitor bonis suis cedat, nec possit intra breve tempus quod restat comparare. R. Iterum fateor, me etiam propter hanc rationem in secundam sententiam non parum propendere; attamen ne omnino assentiar, obstant efficaciores rationes allatae quod 3. sententia. Neque enim Deus requirit, ut gloriam suam promoveamus, aut saluti consulamus cum damno & injuria proximi, quantum non desunt alia media legitima & secunda. Neque puto, secularia absolvere ab obligatione solvendi illum, qui licet non possit acta, potest tamen deinceps solvere; sed solum declarare non posse à creditore ulterius nunc urgeri, & in iudicio conveniri.

Obj. 3. Sponsus, aut etiam maritus, matrimonio non consummato, potest ad Religionem confugere non obstante obligatione orta ex sponsalibus, aut ex matrimonio rato: erga similes. R. N. Consequ. Disparitas est quod tam in sponsalibus, quam in matrimonio rato tantum, ex Juris dispositione & communi Ecclesiae sensu, includatur haec conditio, nisi voluero Religionem ingredi, & hoc tam pro sponsa, quam pro sponso; unde neutri fit injuria: non sic autem in contractibus onerosis, neque in debitis ex delicto.

Dico: in contractibus onerosis; quia conveniunt Theologi, hanc conditionem etiam includi in contractibus gratuitis: unde debitum ex liberali promissione possim ommittere, ut ingrediatur Religionem: satius tamen esset illi satisfacere, si fieri possit intra breve tempus.

Circa 2. difficultatem dicendum, debitorem, omnia professione religiosa, non absolvi ab obligatione restituendi in quantum ipsi possibile est: Creditores enim non censentur cedere jure suo, nisi ratione impotentiae moralis. Aliunde status Religionis non magis secundum se absolvi ab onere restituendi, quam status matrimonialis, aut clericalis, ubi restitutio est possibilis.

Hinc inferes 1. Quod, si debitor contulerit Monasterio quaedam bona, haec subjaceant oneri restitutionis; quia successio transit cum onere. Inferes 2. Quod, si huic Religioso debitor obveniat quoddam legatum, quoddam donum; item, si concedatur ipsi peculium, quaedam stipendia Missarum, & similia; similiter, si aliqua arte statum suum & conditionem non dedecente possit aliqua lucrari; teneatur ex his satisfacere creditoribus, accedente tamen sui Superioris licentia; quia, cum sit domini incapax, & quicquid acquirit non sibi sed suo Monasterio acquirit, si sine praefata licentia restitueret, furti reus esset, cum de alieno disponderet. Porò licentia, quam habet quaedam expendendi ad deambulationes, ad honestas recreationes, videtur sufficere, ut expendat in solutionem debitorum.

Petes 1. Utrum, si privatus Religiosus non possit restituere, ad id teneatur Monasterium loco ipsius? R. Si sciens ipsum debitis gravatum acceptavit, exceptis casibus 3. suppositionis, teneatur; quia videtur ad id se obligasse admitendo ad Religionem eum, qui tenebatur manere in saeculo, ut restitueret. Si autem nesciens, non teneatur.

Petes 2. Utrum in hoc 2. casu Superior teneatur saltem permittere hujusmodi Religioso ex peculio, ex donis, Theol. Billuart. Secunda Secundae.

ex labore honesto restituere; & si non permittat, ipso loco ejus teneatur restituere? R. Salvo jure regularis disciplinae & boni communis, teneatur permittere ex quadam aequitate naturali & charitate tum erga suum Religiosum, cum erga creditores. Non videtur tamen ad id teneri ex Justitia, nec consequenter restituere loco illius, si non permittat. Quia Superior nihil debet ex Justitia creditoribus, & potest vi professionis de omnibus, hunc Religiosum spectantibus, & de ipso tanquam de suo disponere totaliter, abstrahendo ab hoc, an opera, quibus eum addicit, impediant restitutionem, necne. Quia etiam ratione non teneatur ex Justitia permittere, ut isto Religioso egredietur Religione, ut ex Beneficio, vel alia via in saeculo possit debita solvere. Intellige semper de Religioso, quem Monasterium nesciens debitis gravatum acceptavit. Secus enim dicendum est de illo, quem sciens debitis gravatum accepit, ut in superiori responsione; si enim, ut ibi dictum est, teneatur pro illo restituere, a fortiori teneatur ex Justitia permittere, ut acquirat pro restitutione.

Quinta Causa.

Est compensatio. Duplex distinguitur: una improprie dicta, quae est recuperatio rei, vel debiti, quam facit, qui nihil debebat suo debitori: v. gr. debes mihi 20. aureos, totidem a te surripio: furatus es meum equum, tuum occupo. Talis compensatio excusat a restitutione non solum debitorem, sed etiam creditorem, qui rem suam, aut debitum recuperavit, si tamen debitor rem detinebat injusto titulo, aut erat in mora restituendi: quia utrimque servatur aequalitas. Utrum verò sit licita, dum sit occulte, dicitur alibi.

Altera compensatio proprie dicta est, quando ex utraque parte est debitum, v. gr. debeo tibi centum pro panino, & tu mihi debes centum pro vino: vocatur in Jure, *debiti & crediti inter se contributio*. Est licita, & excusat a restitutione, quando debitum & creditum sunt aequalia quoad certitudinem & quantitatem, & insuper sunt ejusdem rationis: L. Ideo 3. ff. de compensationibus: *interest nostra potius non solvere, quam solum repetere*. Et L. Si debitor ff. Qui potiores in pigore. *Non interest solvere, aut pensaverit*. Patet etiam, quia utrimque servatur aequalitas. Excipe tamen, nisi fiat in deposito; quia id Jura vetant propter fidem inter homines servandam. C. *Bona fides Extra de deposito*.

Dixi: quando debitum & creditum sunt aequalia quantum ad quantitatem & certitudinem, & sunt ejusdem rationis: ita scilicet quod alter nullum patiatur damnum, nec sit rationabiliter invitatus. Si enim deberes 20. aureos, & haberem equum tuum valentem 20. aureis non possem tuum equum retinere in compensationem 20. aureorum, quos mihi debes: quia sunt diversae rationis, & forte plus tua interest habere equum, quam 20. aureos.

Petes, utrum debitor per aliquid aequalens gratuito collatum possit compensare, seu extinguere suum debitum? R. Negative per se loquendo; quia donum gratuitum, & debitum ex Justitia inter se pugnant; *Si enim ex debito, inquit Apost. jam non ex gratia*: & aliunde creditor incurrit sine causa onus gratitudinis, unde gravatur.

Sed quid, si tamen debitor per hoc interitus intendat satisfacere suo debito? R. Neque sic satisfacere per se loquendo; tum quia, ut dixi, inde gravatur creditor onere gratitudinis; tum quia ipse ex sua parte acceptando donum gratuitum non censetur remittere jus suum ad strictum debitum.

Dixi utrobique: *per se loquendo*; quia per accidens concurrente aliqua rationabili causa posset sic fieri restituere. Unde, qui metu diffamationis non potest aliter restituere, satisfacit: quia, si ex tali causa potest omittere, aut differre restitutionem, a fortiori potest illam facere modo dicto, cum id magis faveat creditori, qui ideo praesumitur tacite consentire. Quod admitti potest, toties quoties rationabiliter praesumitur, quod creditor tacite consentiret, & debitum ulterius non exigeret.

Sexta Causa.

Est auctoritas Superioris: quod fit dupliciter, 1. per praescriptionem, de qua satis diximus, dum de Jure. 2. Per justam Judicis sententiam: quando nempe Juxta secundum Juris ordinem procedens, nec niens falsa praesumptione, aut probatione, vi & auctoritate Legum adjudicat aliquid alicui, quod alias ipsi secundum rigorem Justitiae non est debitum: ut si alicui adjudicatur mutuum

pecuniariam in compensationem injuriæ seu damni ex levi vel levissima culpa juridica causati; aut damnificantiem privet jure petendi debitum: is, inquam, in cuius favorem profertur sententia, non tenetur restituere, quod vi illius obtinet; quia, quod alias non erat suum, per Legem sententia Judicis declaratum fit suum.

Dixi 1. Quando Judex *adjudicat*; quia, si toleraret tantum, esset obligatio restituendi: ut si venditor defraudaverit emptorem infra dimidium justipretii, quamvis id jure toleretur, nec concedatur actio emptori in venditorem, ne litibus omnia impleantur, tenetur tamen hujusmodi venditor restituere quicquid accepit ultra justum pretium. Dixi 2. *Judex non nitens falsa presumptione, seu probatione*: quia, si is, qui pro se obtinuit sententiam, sciat, eam esse injustam nimirum per favorem, aut errorem latam, non potest tuta conscientia retinere, quod sibi fuit adjudicatum; quia Judex per sententiam non confert jus, aut rei dominium, sed tantum declarat, cui secundum Leges competat; quod si fallatur, nullum jus acquirit, qui vincit in causa; & ubi injustitiam sententiæ noverit, tenetur condemnato restituere.

Excipit Lessius eum, qui per sententiam secundum Juris ordinem latam obtinuit aliquod officium, aut beneficium contra possessorem; censetur, eum non teneri illud restituere possessori injuste condemnato, quamvis sciat privatam hanc sententiam esse injustam, modo illius causa non fuerit; quia, inquit, hæc officia, vel beneficia sunt bona publica, de quibus Ecclesia, vel Respublica potest liberius disponere, quam de bonis privatorum, ubi justa causa subest; subest autem tamen hic, ne scilicet dominia & jurisdictiones sint incertæ, quæ res sæpè perturbat hominum cæcus. Ita laud. Auctor l. 2. c. 20. dub. 10. n. 84. Alii tamen negant; & ut puto, probabilius; contenduntque Judicem in quavis causa non conferre jus, sed declarare dumtaxat, cui secundum Leges competat: Leges autem non intendunt immeritum & innocentem jure suo spoliaré; nec ideo jurisdictionis manet incerta, eam enim habet, qui cum titulo colorato & errore communi possidet.

Septima Causa.

Est solutio facta creditori creditoris, de qua dixi art. 13. pet. 3. require ibi.

Octava Causa.

Est interitus rei, de qua etiam satis dixi, dum de possessore bonæ & malæ fidei.

Nona Causa.

Est compositio cum Summo Pontifice quoad bona incerta, quatenus Summus Pontifex ex summa potestate, quam habet in bona piis causis destinata, quædam ad hunc usum applicat, reliqua debitori remittit.

DISSERTATIO IV.

DE VITIO OPPOSITO JUSTITIÆ DISTRIBUTIVÆ,

QUOD EST ACCEPTIO PERSONARUM.

Div. Thom. Quæst. 63.

Postquam egimus de Justitiâ & partibus ejus subjectivis, necnon de illius actibus, qui sunt iudicium & restitutio, sequitur agendum de vitiis illi oppositis; & primo de vitio opposito justitiæ distributivæ, quod est acceptio personarum.

ARTICULUS I.

Quid sit & quale peccatum acceptio personarum?

Nota, juxta phrasim Scripturæ, accipere personam idem significat ac accipere, seu respicere faciem: unde quod Marci 11. Pharisei dicebant Christo: *Non enim vides in facies hominum legimus Matth. 22. Non enim respicis personam hominum.* Et Ps. 81. *Usquequò judicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis:* hoc est, peccatorum

Non constat inter Theologos, hanc causam excusare. Quidam negant, excepto casu, quo debitor ipse esset pauper attendente conditione sui status; quia non videtur inesse SS. Pontifici auctoritatem disponendi de bonis privatorum absque eorum culpa; quamvis autem horum bonorum dominus sit ignotus, constat tamen existere, neque supponitur in culpa. Alii tamen simpliciter affirmant, quia inquit, cum ea, quæ sunt intuitu boni publici, justa censeantur, dominus ignotus præsumitur huic dispositioni consentire. Addunt, SS. Pontificem supplere ex thesauro Ecclesiæ, quod domino per eleemosynas obvenire potuisset. Ceterum quia hæc causa apud nos non est in usu, dicitur non immoror.

Petes, utrum excommunicatio creditoris eximat debitorem a restitutione illi faciendâ? R. Quamvis excommunicatio major creditoris ipsum impediat a petitione debiti in iudicio C. Pia, de except. in 6. libr. 2. tit. 12. non obstat tamen, quominus illud petere possit privatim, & debitor teneatur ipsi solvere. Ita nunc communiter contra Adrian. & quosdam Antiquos. Ratio est; quia excommunicatio in re necessaria & utili, quasi est solutio debitorum, ut patet ex illo versu, quo continentur causæ, ob quas licitum est communicare cum excommunicatis: *Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse.* Causa 11. quæst. 3.

Dices: Secundum Jura excommunicatio eximit subditos a debita obedientia & juramento fidelitatis erga Superiores excommunicatos: ergo a fortiiori a debito pecuniario. R. 1. Verosimilius subditos vi excommunicationis præcisè non eximit ab obedientia & fidelitate debita Superioribus excommunicatis, sicut non eximitur Fius a præstanda obedientia Patri excommunicato, nec uxor marito; sed hanc penam fuisse quibusdam excommunicationibus additam a SS. Pontificibus, ut contumaces civitas respicerent. Id evincitur ex C. *Excommunicamus.* Extra. de Hæreticis §. *Moneantur* l. 5. tit. 7. Ubi temporalis dominus non purgans terram suam Hæreticis excommunicatur, nec tamen absolvuntur ex tunc subditi ab ejus obedientia: sed si persistit in excommunicatione per annum, nuncupatur Papa, qui fideles a juramento absolvit. R. 2. Dato Ant. N. Conseq. quia longè major communicatio requiritur ad servandam fidelitatem, quam ad solvendum debitum.

Repones. In Jure referuntur casus, in quibus licet communicare cum excommunicato, inter quod non ponitur solutio debitorum. Resp. hunc casum sufficienter referri in citato versiculo per *utile & necesse.* Et Gregorius VII. *Quoniam multos* Causa 11. quæst. 3. dicit, licere dare aliquid excommunicato humanitatis causa, quantum magis Justitiæ causa. Aliunde non omnes casus, in quibus id est licitum, referuntur explicite in Jure.

Huc usque de restitutione in genere: quæ spectant restitutionem in particulari, discutimus agendo de vitiis oppositis Justitiæ, ex quibus oritur, de homicidio, furto, de tractione, secundum ordinem D. Thomæ; ne eadem pluries repetamus.

personas accipitis, non attendentes ad merita causæ in vestris Judiciis. Itaque

Dico 1. (Coll. ex a. 1. q. 1. & 2. q. 63.) Acceptio personarum est injustitia, qua in rebus communibus ex justitia distribuendis non attenditur ad proportionem meritorum, vel idoneitatis eorum, quibus dantur, sed ad aliquam causam huic rei impertinentem. Explicatur: Dicitur 1. *in rebus, sive bonis, ut sunt Beneficia, officia publica, honor, iudicium, &c. sive malis, hoc est onerosis, ut sunt tributa, vectigalia, operarum contributiones, pœnæ, &c.* Dicitur 2. *in rebus communibus ex justitia distribuendis:* (Ibid. a. 1. ad 3.) quia in distributione rerum propriarum, quas quis dare non tenetur, aut non nisi fortè ex liberalitate, vel charitate, non est acceptio personarum, etiamsi non attendat ad merita, vel idoneitatem eorum, quibus distribuit, ut si ex propriis erogat eleemo-

ARTICULUS II.

De acceptione personarum in distributione spiritualium.

Per spiritualia hic intelligimus potestatem Ecclesiasticam, sive Ordinis, sive Jurisdictionis, & ejus usum, sed præsertim Beneficia, & Officia Ecclesiastica.

Suppono (Ibid. a. 2. o.) ut certum collationem spiritualium sacram indigno, si reperiantur digni, esse peccatum mortale, quia est acceptio personarum in re gravis momenti: quantum enim in majoribus aliquis transgreditur justitiam, tanto gravius peccat; spiritualia autem sunt temporalibus graviora, & ex illorum injusta distributione plura mala sequuntur in Ecclesia, Hæreses, morum perversitas, divini cultus negligentia, bonorum Ecclesiasticorum dissipatio, pauperum calamitas, &c. Imò collatio Beneficii facta indigno in certis casibus est irrita, in omnibus irritanda, ut patebit ex seq. Indignus autem habetur, qui ad Officium, propter quod datur Beneficium, est ineptus, seu non speratur futurus utilis ratione sine pravæ vitæ, sive ignorantie, sive alicujus impedimenti Canonici. Neque Collatori, aut Electori, aut Patrono sufficit, si nesciat eum esse indignum, sed debet scire positive esse dignum, adeoque de ejus dignitate inquirere, quia ei ex officio incumbit providere de dignis. Dixi, *si reperiantur digni*: quia si non reperiantur, aliquando licebit conferre indigno ad evitanda majora mala, puta ne collatio devolvatur ad Hæreticos, nec adhuc indignior eligatur: tunc enim licet indignus non sit absolute dignus, tamen comparative ad indigniores censetur dignus: sed acceptio Beneficii debet se præstare dignum, & officio satisficere per se, vel per alium, alioquin obnoxius erit restitutioni fructuum.

Difficultas est itaque, utrum liceat conferre Beneficium minus digno, prætermissa digniore. Unde dico: (Ibid. ad 1. & 3.) Collatio cujuscumque Beneficii, aut Officii Ecclesiastici facta minus digno, prætermissa digniore, regulariter loquendo est illicita, sed valida. Idem dic de presentatione, & electione: est communis post Auctorem. Porro conclusionem sic intellige, non quasi Collator, aut Patronus debeat inquirere in toto Regno, vel Provincia, quis sit dignior; id enim foret onus nimis grave, nec raro deceptioni obnoxium; sed quod ex his, qui in promptu sunt, aut quorum notitiam habet, vel habere potest adhibita morali diligentia, eligat illum, quem digniorem judicaverit.

Prob. 1. pars Conclusionis 1. Ex Jure Canonico capitulo: *Ut Ecclesiastica Beneficia.* Extra l. 3. tit. 22. Innoc. III. dicit: *Non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuit Ecclesiasticum Officium, & Beneficium in persona magis idonea dispensare.* Conc. Trid. sess. 24. c. 1. *De promotione Episcoporum* sic dicit: *Omnes verò, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quocumque jus habent, aut alioquin operam suam præstant ... movet ... eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus vel humano affectu, aut ambigunt suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint.* Et c. 18. *De Parochorum promot.* dicit: *Et si his Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit.*

Prob. 2. ratione (Ibid. ad 3.) Dum in promotione ad Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum præferitur minus dignus digniori, est manifestè acceptio personæ injuriosa Ecclesiæ, in cuius utilitatem instituta sunt Beneficia, & Officia Ecclesiastica: ergo. Confirm. (Quodl. 8. a. 6. ad 5.) Collatores, seu Patroni non sunt Beneficiorum domini, sed Administratores tantum, & Œconomus; atqui Œconomus, cui esset a domino commissum, ut ei fidelem, & idoneum ministrum quæreret, infideliter ageret erga dominum, si, prætermissa magis idoneo, minus idoneum acciperet: ergo a fortiiori in nostro casu.

Verum nota, quòd dignitas alicujus possit attendi dupliciter (Hic a. 2. o. quodl. cit.) Uno modo simpliciter, & secundum se; & sic majoris dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparisonem ad bonum commune: contingit enim quandoque, quòd ille, qui est minus sanctus, aut minus sciens, possit magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam, vel propter aliquid hujusmodi. Et quia dispensatio spiritualium principaliter ordinatur ad utilitatem communem; ideo quandoque absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium illi, qui sunt simpliciter minus boni, melioribus præferuntur; sicut etiam Deus